


CLEMENS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

PASTORALIS Officij ratio poſtulat, vt religioſorum, maximè ſtrictioris obſeruantiæ quieti, profectui, bonoq; nomini indefeſſe conſulamus. Cum igitur ſicut accepimus, habitu, quo dilecti filij Religioſi Congregationis Sancti Auguſtini Reformatorum, ſeu Diſcalceatorum nuncupati vtuntur, plures extrà eam induti, confuſionem, & alicui etiam ſcandalum in præiudicium prædictæ Congregationis generent. Nos, vt hæc, & alia inconuenientia omnino euitentur, opportunè prouidere volentes. Motuproprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, diſtrictè precipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, ne quis in Italia habitum externum tàm in materia, quàm in forma ſimilem (ita vt ex prædictis Diſcalceatis exiſtimari poſsit) geſtare præſumant, niſi prædictæ Congregationis membrum actualiter exiſtat, aut à Congregatione Galliæ, aut Hiſpaniæ pro negocijs gerendis huc adueniat. Quod ſi, qui ſcienter, vel ignoranter ſecus fecerit, illum à quolibet prædictæ Congregationis Religioſo habitu, & ſandalijs priuari poſſe decernimus, ac illos Congregationis prædictæ vſui ex nunc appropriamus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs in ſpiritualibus generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Religioſorum dictæ Congregationis, aut cuiuslibet eorum fuerit requiſitus, præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; ſolemniter publicans, ac prædictis Religioſis dictæ Congregationis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtens, faciat auctoritate noſtra illas in eius quiſq; Ciuitate, & Diœceſis inuiolatè obſeruari: Contradictores quoſcumq; per cenſuras, & pœnas prædictas, aliaq; opportuna Iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Præterea ſub eiſdem cenſuris, & pœnis præcipimus, quod nullus prædictæ Congregationis profeſſus in aliqua alia Prouincia, aut Congregatione Ordinis S. Auguſtini, aut cuiuſuis alterius religionis, prætereaquam Cartuſianorum, abſq; noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, aut ſuperintendentis licentia recipiatur, & ſi receptus fuerit, ſtatim prædictæ Congregationi reſtituatur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Septembris. M.DCIIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertiodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

ROMAE, Apud Impreſſores Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. D C V.



CLEMENS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

PASTORALIS Officij ratio postulat, vt religiosorum, maxime strictioris obseruantiae quieti, profectui, bonoq; nomini indesesse consulamus. Cum igitur sicut accepimus, habitu, quo dilecti filij Religiosi Congregationis Sancti Augustini Reformatorum, seu Discalceatorum nuncupati vtuntur, plures extra eam induti, confusionem, & alicui etiam scandalum in praeiudicium praedictae Congregationis generent. Nos, vt haec, & alia inconuenientia omnino euitentur, opportune prouidere volentes. Motuproprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, districte praecipimus in virtute Sanctae Obedientiae, & sub poena excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrenda, ne quis in Italia habitum externum tam in materia, quam in forma similem (ita vt ex praedictis Discalceatis existimari possit) gestare praesumant, nisi praedictae Congregationis membrum actualiter existat, aut à Congregatione Galliae, aut Hispaniae pro negocijs gerendis huc adueniat. Quod si, qui scienter, vel ignoranter secus fecerit, illum à quolibet praedictae Congregationis Religioso habitu, & sandalijs priuari posse decernimus, ac illos Congregationis praedictae vsui ex nunc appropriamus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs in spiritualibus generalibus per praesentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Religiosorum dictae Congregationis, aut cuiuslibet eorum fuerit requisitus, praesentes literas, & in eis contenta quaecumq; solemniter publicans, ac praedictis Religiosis dictae Congregationis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra illas in eius quibusq; Ciuitate, & Dioecesis inuiolate obseruari: Contradictores quoscumq; per censuras, & poenas praedictas, aliaq; opportuna Iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij saecularis. Praeterea sub eisdem censuris, & poenis praecipimus, quod nullus praedictae Congregationis professus in aliqua alia Prouincia, aut Congregatione Ordinis S. Augustini, aut cuiuuis alterius religionis, praeterquam Cartusianorum, absq; nostra, & Sedis Apostolicae, aut superintendentis licentia recipiatur, & si receptus fuerit, statim praedictae Congregationi restituatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Dat. Tusculi sub Annulo Piscatoris die xxv. Septembris. M. DCIIII. Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

ROMAE, Apud Impressores Reuerendae Camerae Apostolicae. M. D C V.